



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 2. Concordiæ conditiones utrinque initæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.

A C. 1598

sibi devincire satagebat, moxque Faventiam, ubi tum Aldobrandinus agebat, suos Oratores mittebat, qui suo nomine litem sub honestis conditionibus citra sanguinis effusionem componi rogarent, peterentque, ut Pontifex solutis, quibus Ducem innodasset, censurarum vinculis exercitum suum ab hostili violentia cohiberet, ac demum de concordiae pactis mutuo agi permetteret.

§. II.

*Concordiæ conditiones utrinque imita.*

Thuan. Eg.  
Spond. l. c.  
Struv. Pa-  
riod. 10.  
Jett. 7.

Hisce Cæsaris precibus prompto animo annuit Clemens VIII. aliunde Princeps pacis studiosissimus, qui nulla mora Aldobrandino plenam indulserat transigendi facultatem: quocirca missis ultro, citroque Delegatis, reque mature agitata die undecima Januarii hunc in modum concordiae pacta fuere præscripta I. Cæsar cum tota sua familia, omnibusque, qui sub ejus signis militabant, anathematis vinculo solvatur. II. Cunctis Ferrariensibus omnium præteritorum oblivio indulgeatur. III. Cæsar Ferrariensem urbem, illiusque agrum sacrae Sedi relinquat, nec tamen Aldobrandinus Cardinalis Papæ Legatus civitatem ante trigesimam Februarii diem ingrediatur, ad hanc vero us-

que

que diem omnia vectigalia, pecuniam, Sæcul. XVI.  
gemmas, & documenta publica Cæsar A.C. 1598.  
retineat. IV. Idem quoque cunctas di-

ditiones ad Sedem Apostolicam non atti-  
nentes, nec non bona familiæ, vel ab  
Alphonso profecta ad quadraginta au-  
reorum millia annui redditus sibi servet,  
cum dimidia omnium armorum, belli-  
que tormentorum parte. V. Ad æs

creditum a debitoribus exigendum Cæ-  
sar sibi iudicem eligere poterit: in ce-  
teris vero coram ordinario iudice Fer-  
rariensi litigare adstringatur. VI. Ex

Camera Apostolica quotannis quindecim  
saccorum falis cervini millia sine  
omni tributî onere recipiat. VII. Car-  
pensis territorii paludes ab Ecclesia Bo-  
noniensi possessas, atque tribus aureo-  
rum millibus annui redditus æstimatas  
restituatur. VIII. Romæ eadem dignita-  
tis prærogativa, quam Alphonfus Dux  
olim habuit, & ipse fruatur, necnon  
Mutinæ, & Rhegii Ducis titulos obti-  
neat, sanctaque Sedes illum suo foveat  
patrocinio, omnesque ipsius ditiones  
contra quemlibet propugnet. IX. Cæ-  
sar omnia sua bona, quæ in Ferrariensi  
Ducatu possidet, aut saltem eo-  
rum partem sanctæ Sedi iusto pretio  
vendere teneatur, de quo tamen inter  
partes utrinque per Delegatos conve-  
niat.

sæcul. XVI. niat. Denique X. Carporum oppidum  
A. C. 1598. ad Episcopalem honorem evehatur.

## §. III.

*Hæc pacta a Pontifice rata habita  
 ejusdemque Diploma hanc in rem  
 editum.*

*Bull. tom. 3.* **H**æc pacta utrinque sancita per Depu-  
*Const. 52.* tatos quanto cyus Romam ad sum-  
 mum Pontificem deferebantur, qui et-  
 iam coacto Purpuratorum Senatu sin-  
 gula rata habuit, gaudiumque ex hac  
 pace conceptum obortis etiam lacrimis  
 palam testatus est, non tam ob recupe-  
 ratam hanc ditionem, indeque auctam  
 Sedis Apostolicæ potentiam exultans,  
 quam quod *absque ulla sanguinis effusione*  
 belli flammæ in media Italia exortæ  
 tam feliciter extinctæ fuerint, & quidem  
 eo tempore, quo potius Christianorum  
 arma in Turcas, quam in filios conver-  
 tere publica necessitas deposcebat: qua-  
 propter die decima nona Januarii in se-  
 creto Patrum Senatu solemniter hanc  
 ditionem ad Sedem Apostolicam esse  
 devolutam, eique pleno jure adjunctam  
 declarabat, edito hanc in rem diplo-  
 mate sequenti: *Quoniam per obitum Al-*  
*phonsi Estensis Ferrariæ Ducis, Ducatus,*  
*Et Status Ferrariæ, cum omnibus civita-*  
*tibus, terris, castris, fortalitiis, portubus,*  
*locis,*